Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26007
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Quod enim uidet quis quid speret. Si autem quod non uidemus speramus. per patientiam expectamus. Unde etiam coapostolus PETRUS inquit non uidentes credimus. quem cum uideritis exultabitis gaudio inenarrabili et honorato. percipientes mercedem fidei salutem animarum uestrarum.

Si igitur nunc tempus est fidei. salus autem animarum merces fidei. quis dubitet in fide quae per dilectionem operatur pagendum diem. atque in fine fidei recipienda esse mercedem. non solum redemptionis corporis nostri de qua dicit apostolus paulus. uerum etiam salutem animarum nostrarum. de qua dicit apostolus PETRUS. Utrumque enim ista felicitas. isto tempore atque unusquisque mortalitate inspe poni habet quam intra tenere.

Verum hoc interest. quod exterior homo noster idem corpus adhuc corrumpitur. interior autem idem anima iam renouatur de die in diem. Itaque sicut in mortalitate carnis et salutem animarum futuram expectamus. quamuis iam pignore accepto salui facti esse dicamur. ita omnium nostrum quae cunque unigenitus audiuit a patre futura speranda debemus. quamuis iam se hoc fecisse dixerit xpc. Non uos me elegistis inquit. sed ego elegi uos. Ecce illa ineffabilis gratia. Quid enim eramus. quando xpm non dum elegeramus. et idcirco non diligebamus. Nam qui non eum eligit. quomodo diligit. Quid igitur eramus. nisi iniqui et perditi. Neque enim iam credideramus in eum. ut eligeret HOS.